



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum Sacramentum sit signum vnus rei tantum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

3
Strictius
accipitur
pro Cere-
monia.

Verum hæc acceptio est valde generalis. Strictior magisque propria erit, si illud signum sit cæremonia quædam solennis, religiosa, aliquid occulti mysterij significans. Quomodo Augustinus lib. 4. De symbolo ad Catechumenos cap. 1. omnia Sacramentalia vocat Sacramenta; vt exorcismos, insufflationes, & alia huiusmodi, quæ Sacramentorû administrationi sunt annexa. Et simili modo accipitur in illa sententia D. Augustini lib. 19. contra Faustû c. 11. *In nulla religione siue vera siue falsa, homines inter se posse colligari absque aliquo signaculo- rum seu Sacramentorum consortio*: id est, absque externis cæremonijs. Nos tamen hoc loco non tam generatim de Sacramentis disputamus, sed de ijs solis quæ sunt cæremoniæ ad homines sanctificandos, & ad res sacras designandas, siue in lege noua, siue in lege veteri sint instituta. Hæc namque cæremoniæ in religione principatum tenent: vnde nomen Sacramenti præ ceteris sibi vindicant.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramentum sit in genere signi?

4 **R**espondetur, Sacramentum pro vt hic accipitur, esse in genere signi: id est, esse speciem signi. Potest enim aliquid dici Sacramentum, vel quia in se habet sanctitatem occultam, vel quia est signum occultæ sanctitatis, & ita hic accipitur.

Petes, Cur potius Sacramentum est in genere signi, quam causæ, cum etiam sit causæ?

Respondeo, De ratione Sacramenti in genere non est esse causam sanctitatis perfectæ, quæ anima sanctificatur: tamen de ratione eius est, esse saltem signum huius sanctitatis.

3
Sacramen-
tum aliter
dicitur à
sacro, aliter
medicame-
ntum à me-
dicina.

In Responione Ad 1. Aduerte aliter Sacramentum dici à sacro, aliter medicamentum à medicina. Medicamentum enim dicitur à medicina, tanquam medicinæ instrumentum; vnde ex vi suæ originis designat habitudinem causæ efficientis ad sanitatem, sicut medicina. Sacramentum autem dicitur à sanctitate tanquam à termino extrinseco quem respicit: quæ habitudo potest esse varia; scilicet vel signi, vel causæ, vel effectus: vnde ex vi suæ originis non significat habitudinem causæ efficientis veram sanctitatem animæ; absolute tamen significat aliquam habitudinem causæ efficientis, vel formalis, respectu sanctitatis in genere. Sicut enim vestimentum dicitur quo vestimur, & ornamentum quo ornatur; ita Sacramentum, quo aliquo modo sacramur.

ARTICVLVS II.

Vtrum omne signum rei sacræ sit Sacramentum?

6 **R**espondetur, Non omne signum rei sacræ esse Sacramentum; sed signum rei sacræ sanctificantis hominem: id est, signum quod significat rem sacram, quatenus illa actu sanctificat hominem secundum animam, vel aliquando sanctificatura est.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum sit signum vnius rei tantum?

7 **R**espondetur, Non vnius rei tantum, sed multorum est signum. Est enim signum commemoratiuum Passionis Christi præteritæ; demonstratiuum sanctificationis præsentis; & prognosticon gloriæ futuræ.

Notandum est, Hoc solum esse verum in Sacramentis nouæ legis. Nam Sacramenta vetera non significabant præsentem animæ sanctificationem, neque etiam gloriam futuram, nisi valde remotè. Vnde non est hoc de ratione præcisa Sacramenti in genere; sufficit enim significatio sanctitatis iuxta 2. Articuli: quamuis causas huius sanctitatis, scilicet efficientem & finalem non expressè designet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omne Sacramentum sit res sensibilis?

8 **R**espondetur, Omne Sacramentum est res aliqua sensibilis. Vbi nomine rei sensibilis non solum intelligitur res permanens; vt aqua, oleum, panis: sed etiam vltus eius; vt ablutio, vinctio &c.

Circa hos Articulos explicanda est breuiter Sacramenti definitio.

DVBIUM.

Quæ sit integra Sacramenti ratio & definitio?

9 **C**alvinus lib. 4. Institut. c. 14. in principio sic definit: *Sacramentum est externum symbolum, quo Deus benevolentia erga nos sua promissiones conscientijs nostris obsequat, ad fidei nostræ imbecillitatem sustinendam.* Vbi Calvinus, vt patet ex illo cap. quatuor requirit ad Sacramentum. Primò, Diuinam benevolentiam qua nos diligit ab æterno propter Christum. Secundò, Promissionem qua Deus in Scripturis promittit nobis huius benevolentia effectum (scilicet iustitiam imputatiuam) exhibitum iri per fidem, vel parentum (vt fit in parvulis Christianorum, qui iudicio Caluini nascuntur sancti propter fidem parentum): vel propriam cuiusque; vt in ijs qui non sunt nati ex Christianis. Tertio, Requirit externum symbolum quo Deus nobis testetur hanc suam benevolentiam & promissionis exhibitionem. Quarto requirit vt credamus si antè non credebamus; vel tertè vt firmius credamus nos esse prædestinatos, & ex vi diuinæ promissionis iustificatos, quæ nobis applicata est per fidem nostram præcedentem, vel parentum nostrorum. Hinc apud Calvinistas, ei qui Sacramentum suscepturus est, primùm leguntur aliqua diuinæ promissiones, qualis est illa Genes. 17. v. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Et Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*: quas promissiones suscepturus Sacramentum debet credere sibi applicatas; deinde vt hoc firmius credat, applicatur illi symbolum externum, quod est velut sigillum diuinum confirmans promissiones apud conscientiam hominis. Nihil ergo aliud est Sacramentum apud ipsos, quam signum quoddam externum nobis applicatum, vt firmius credamus nos antè à Deo propter

Caluiana
Sacramen-
ti definitio.

Comparat
Sigillo.